



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

83. Cum Charissimus &c. Impositio Subsidii unius Millionis Cruciatorum ad
favore Regis Portugalliæ pro sumptibus belli contra Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

ri, & Officium recitari permittit.

Solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei primo tantum anno sub Ritu duplici majori celebrari indulget.

Derogat quibuscumque contrariis, & fidem transumptis haberi mandat.

LXXXIII.

Exordium a pietate, ac zelo Regis Portugalliae, qui validum bellicarum Navium subsidium ad versus Turcas Corcyram obsidentes transmisserat.

Foncoverte Narbonensis Diocesis, in quo dictus Servus Dei natus est, in Pago Lalovefii Viennensis Diocesis in Delphinatu, unde ad Caelos evolvit, & ubi venerabile ejus Corpus requiescit, ac in Civitate Aniciensis, in qua plurimum annorum spatio, & penè usque ad suum obitum habitare consuevit, ab omnibus utriusque sexus Christianidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, nec non in universa Societate praefata, & quantum ad Missam attinet, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Societatis confluentibus.

§. 4. Praeterea primo dumtaxat anno à datis hifce literis, & quoad Indias à die, quo eadem litera illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Oppidi, Pagis, Civitatis, & Societatis hujusmodi respectivè Solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub Ritu Duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia: pro qua re supradictam diem 24. currentis mensis Maii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Praefecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die octavae Maii MDCCXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

F. Card. Oliverius.

IMPOSITIO SUBSIDII

Unius millionis Cruciatorum ad favorem Regis Portugalliae pro sumptibus belli contra Turcas.

Venerabili Fratri Vincentio Archiepiscopo Laodiceae nostro, & Sedis Apostolicae apud Regem Portugalliae Nuncio.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Um Charissimus in Christo Filius noster Joannes Portugalliae, & Algarbiorum Rex Illustris non minus pro eximia sua pietate, egregioque, quo fervet, honoris Dei, & Catholicae Religionis tuenda zelo, quam nostris paternis officiis, atque hortationibus excitatus validum complurium bellicarum Navium tam Classi nostrae Pontificiae, quam aliis Navibus, & Triremibus ab aliis Regibus, Principibus, & Rebuspublicis Christianis contra Turcas missis, seu mittendis unendarum, ac insimul adversus eisdem Turcas, Civitatem, & Arcem Corcyren. vehementi obsidione urgentes, militaturarum subsidium transmissit; Vires verò Ararii ipsius Regis tam praeteritis bellis, quam gravissimis praedictarum bellicarum Navium expeditione, haetenus factis, sumptibus attrita, nec non Laicorum ei sub-

jectorum facultates ulterioribus in ejusmodi causam faciendis expensis pares minime futurae sint, ac proinde idem Joannes Rex aliquo praesentaneo ex rebus, & bonis Ecclesiarum, & Locorum Piorum in ejus Regno, aliisque dominiis consistentium subsidio à Nobis juvari plurimum desideret, praesertim quia aliud simile subsidium, quod Nos dudum per quasdam nostras in simili forma Brevis die xvi. Aprilis MDCCXII. expeditas Literas, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, à Personis Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Regularibus Regnorum, & dominiorum praefatorum in causam necessaria eorum defensionis sub certis modo, & forma tunc expressis persolvi posse permisimus, suum effectum non habuit, nec nostrae Literae hujusmodi executioni demandatae fuerunt; Nos licet ab Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum, ac Locorum Piorum gravaminibus animo sumus maxime alieni, nihilque magis Nobis cordi sit, quam eorum libertatem, & immunitatem illibatam conservare; considerantes tamen hac in re universae Christianae Reipublicae, immò ipsius Dei, cujus Tempa, & Sacra violantur, veraque Religio per Mahumetanæ abominations propagationem concutatur, & pervertitur, causam agi, adedque non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut communis, & infensissimi Christiani nominis hostis conatus, & audacia reprimantur, afflictæque rei Christianae opportundè subveniatur, ejusdem Joannis Regis postulatis quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere volentes, nec non memoratum subsidium à Nobis alias, sicut praemittitur, selvi permisimus, expeditaque desuper Literas nostras supradictas harum serie revocantes, irritantes, & annullantes, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuantes, de Nobis divinitus attributæ potestatis plenitudine, unum aliud subsidium, seu contributionem unius millionis Cruciatorum monetae Portugalliae super omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus omnium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Collegiarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hospitiorum, Domorum, & aliorum Locorum Regularium utriusque sexus, ac Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatiale, Conventuale, Capitularium, & aliarum Mensurarum, Prioratum quoque, Praepositarum, Praepositatum, Praeceptoriarum, seu Commendarum, Canoniatum, & Praebendarum, Dignitatum etiam post Pontificales majorum in Cathedralibus, & principalium in Collegiatis Ecclesiis, Personatum, Administrationum, & Officiorum, ceterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam de Jurepatronatus dicti Joannis Regis, aliorumque Principum, & Laicorum, etiam ex fundatione, & dotatione existentium cum Curâ, vel sine Curâ Secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Carthusiensis, Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, aliorumque Ordinum quorumvis utriusque sexus, etiam Mendicantium ex privilegio, & alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium, nec non Societatum etiam Jesu, ac Sancti Salvatoris Lateranensis, & Sancti Joannis Evangelistae, aliorumque Congregationum, & Institutuum Regularium quorumlibet tam Virorum, quam Mulierum; praeterea Hospitalium pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra usum Infirmorum, & alia, pro quibus instituta sunt, pia Officia exercenda possidentium; nec non Militarium, ceterorumque Locorum piorum quorumcumque in Regnis, & Dominis eidem

Et aliud pecuniarium subsidium à Pontifice obtentum nondum exegerat.

Abrogato priori subsidio Pontificis novum subsidium unius millionis Cruciatorum super fructibus, redditibus, & proventibus Portugalliae, & Dominiorum ejusdem Regis imponitur.

Excipit S. R. E. Cardines, Officium S. Inquisitionis, & Militiam Hierosolymitanam.

Joanni

Designat Beneficia non taxanda.

Joanni Regi subjectis consentientium (exceptis tamen Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Officio Sanctæ Inquisitionis adversus hereticam pravitatem, ac Fratribus Militibus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, & quoad Curata iis, quorum quadraginta, quo verò ad simplicia Beneficia Ecclesiastica iis, quorum annui redditus summam decem ducatorum auri de Camerâ non excedunt,) ac similiter super omnibus, & singulis pensionibus annuis super præmissis assignatis, vel assignandis per quoscumque Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Præpositos, Decanos, Canonicos, Rectores, Beneficiarios, Abbates, Priores, Commendatarios, Abbatissas, Priorissas, Capitula, Conventus, Superiores, Monachos, Fratres, Clericos, & Presbyteros etiam dictæ Societatis Jesu, Moniales, Præceptores, seu Commendatarios, ceterosque quocumque jure, modo, occasione, & titulo præfata obtinentes, seu detinentes, & obtenturos, Oeconomos quoque, & Administratores perpetuos, seu temporales, usufructuarios, ac fructus, pensionesve præfatas quantumcumque exemptas, & quibusvis obligationibus, etiam in formâ Cameræ Apostolicæ, & juramento, etiam cum susceptione censurarum, & de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, & concessis non utendo, vallatis, & forsan aliis etiam efficacioribus cautelis, & decretis, & clausulis super iisdem pensionibus, etiam medio Cædularum Banchi, seu in formâ depositi, resque, & alia quacumque hujusmodi Jura, & bona ex quacumque causâ quavis autoritate in toto, vel in parte sibi reservatâ, aut concessâ habentes, seu habituros, ceterasque Personas, ad quas spectat, & spectabit, Seculares, & Regulares (exceptis supradictis) semel tantum intra tempus à Te præfiniendum, quod tamen non sit minus triennio, persolvendum, & persolvendam tenore præsentium imponimus, & indicimus.

Nuncio Apostolico committit Exactionem ejusmodi subsidii.

§. 1. Ac proinde de Fratemitatis tuæ pietate, fide, integritate, prudentiâ, charitate, rerum usu, Christianaque Religione, & boni publici studio plurimam habentes in Domino fiduciam, eidem Fratemitati Tuæ per præfentes committimus, & mandamus, ut ipsorum subsidii, & contributionis sic impositorum, & in dictorum ratas portiones singulas, & singula, Ecclesias, Monasteria, Collegia, ceteraque pia loca, & Beneficia præfata, ac eorum Capitula, Conventus, Prælatos, Rectores, Administratores, & Personas quascumque respectivè contingentes, assumptos tamen, & adhibitis ad hoc aliquibus timorate conscientiæ Viris earum rerum peritis, quos assumendos, & adhibendos esse censueris, autoritate nostrâ Apostolicâ taxes, definias, & determinas, ipsasque ratas portiones sic taxatas, definitas, & determinatas per Commissarios, Exactores, Collectores, & Executores à Te constituendos, & deputandos à prædictis omnibus, aliisve quibuslibet, ad quos spectat, & spectabit, cujuscumque qualitatis, status, ordinis, præeminentiæ, conditionis, & dignitatis, ac quocumque privilegio, immunitate, exemptione reali, personali, & mixtâ quantumlibet antiquâ, & pacificâ, nec unquam interruptâ, & libertate suffulti, seu aliâ, specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni existant, omni, & quacumque appellatione, exceptione, reclamatione, recurso, exculatione, & tergiversatione remotis, & postpositis, eadem autoritate exigas, & exigi cures, illosque, & eorum quemlibet tam conjunctim, quam divisim ad veram, realem, & actualem solutionem subsidii, & contributionis hujusmodi eos respectivè contingentium sine ullâ morâ faciendam

opportuni juris, & facti remediis etiam per censuras Ecclesiasticas dictâ autoritate cogas, & compellas.

§. 2. Nos enim Tibi quoscumque Contradictores, perturbatores, molestatores, & rebelles in præmissis Tibi parere recusantes, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, ac directè, vel indirectè quovis quæsito colore præstantes cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, ceterisque juris, & facti remediis opportunis cogendi, & compellendi, ipsasque censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit, invocandi, eos verò qui debitè satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in formâ Ecclesiæ consuetâ absolvendi, ac cum eis super irregularitate per eos eâ de causâ contractâ dispensandi, eosque rehabilitandi, & ad pristinum statum restituendi; Præterea Viros Ecclesiasticos probos, ac fide, & facultatibus idoneos ad præmissa omnia, & singula executioni mandandum, Commissarios tuos, Exactores, Collectores, & Executores in singulis Civitatibus, & Diocesis, Provinciis, & Locis Regnorum, & Dominiorum præfatorum, quotquot videris expedire, cum simili, vel limitatâ potestate constituendi, & deputandi, illosque arbitrio tuo removendi, & revocandi, & alios eorum loco, toties quoties opus fuerit, deputandi, & subrogandi, in delinquentes, vel contumaces per Te, vel alium; seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ Judicii inquirendi, & procedendi, eosque debitæ pœnis, & animadversionibus puniendi, modos, & formas in præmissis servandos præscribendi, dubia quacumque in iisdem præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & singula in eis, & circa ea quoquo modo necessaria, etiam illa forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quàm præsentibus sit expressum, faciendi, gerendi, decernendi, statuendi, & exequendi, plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, licentiam, & potestatem autoritate præfata earundem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

§. 3. Volumus autem ut pecuniæ quacumque ex subsidii, & contributionis hujusmodi exactione, quomodolibet proventurâ, & redigenda memorato Joanni Regi, seu ejus Ministris à Te, seu à Commissariis tuis de speciali mandato tuo, seu pro tempore existentis apud eundem Joannem Regem nostri, & Apostolicæ Sedis Nuncii, per Te, seu illum subscripto tradantur, & consignentur, ad hoc ut in causam memoraturam, & aliarum expensarum occasione præfati Belli contra Turcas, aliosve Infideles dumtaxat faciendarum, & non in aliam quancumque omnino convertantur, super quibus, aliisque omnibus, & singulis præmissis tuam, dictique Nuncii, ac Commissariorum, Executorum, Exactorum, & Collectorum præfatorum, nec non quoad conversionem pecuniarum hujusmodi ipsorum quoque Joannis Regis, ejusque Ministrorum conscientias oneramus.

§. 4. Decernentes omnia, & singula per Te, seu Commissarios tuos in præmissis juxta earundem tenorem præsentium faciendâ, gerendâ, dicendâ, & mandandâ, validâ, firmâ, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, inviolabiliter observari, & adimpleri debere, neque ipsas præfatas Literas, etiam ex eo quod in præmissis quomodolibet

Cum amplissima facultate cogendi ad solutionem quoscumque reventes.

Mandat pecunias exigendas persolvi Regi, vel ejus Ministris, & erogari in sumptus tantum belli contra Turcas.

Decretum irritans cum sublata, & aliis amplissimis clausulis.

intereffe

interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eadem præsententes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis justâ, legitimâ, piâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis formali, & substantiali, ac in cogitato, & inexcogitabili defectu notari, impuguari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concessio, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare unquam posse; Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentiam, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus omnibus, & singulis præmissis; ac felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de unâ, & Concilii Generalis de duabus diebus, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & Locorum Piorum, ac Ordinum Congregationum, & Societatum etiam Jesu, Militiarum, & aliorum præfatorum, & quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, & usibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Conventibus, & Loci Piis, ac Ordinibus, Congregationibus, Societatibus etiam Jesu, Militiis, & aliis prædictis illorumque Præfultibus, Capitulis, Abbatibus, aliisque Superioribus, & personis quibuslibet, etiam in limine foundationis, & erectionis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & infererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissimè de-

rogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si præfatis, vel aliis quibuslibet communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 6. In percipiendis vero subsidio, & contributione prædictis rec. me. Clementis PP. V. etiam Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editam Constitutionem, ac præsertim, quod nec Calices, nec libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta Divino Cultui dicata, aliave suppellectilia Ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut aliis quomodolibet occupari debeant, ubique præcipimus observari: quinimò volumus, ut illius occasione Ecclesiæ, Monasteria, aliæque pia, & Sacra Loca quæcumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac Divinus in eis Cultus, & solitus Altissimo famulantium, & Ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quæ exercere solent, opera, & officia ullo modo minuatur, seu negligantur, sed eorum congruè supportentur onera consueta, quodque præsentium literarum exempla, etiam impressa, manu Notarii publici subscripta, & alicujus Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ sigillo obfignata eadem in judicio, & extra illud ubique locorum fidem faciant, quàm ipsæ originales facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIIII. Augusti MDCCXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Loco ✠ Signilli.

F. Card. Oliverius.

UNIO PERPETUA

Trium Parochialium Ecclesiarum de Jurepatronatus Regis Portugaliæ Regiæ Cappellæ M. S. in Civitate Ulyxbonen. pro augmento proventuum eidem Regiæ Cappellæ Interventium.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscopi Bracharen. & Episcopi Lamacen. Officialibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

IN Supremo Apostolicæ Dignitatis Solio Divina favente clementiâ meritis licet imparibus constituti ad ea, per quæ quarundam Collegiarum Ecclesiarum, quæ inter præcipuas Universi Orbis Ecclesias, utpotè Regio nomine insignitas, ac alicui ex Divis Apostolis dicatas conspectivo honore illustrantur, & frequenti Nobilium interventu, atque Regalium Personarum præsentia decorantur, gloria, & ornamento, & Ecclesiasticorum Ministrorum in illis Divini cultus insistentium indigentis consulitur, Pastoralis Officii nostri sollicitudinem favorabiliter interponimus, ut eisdem Ecclesiis, ubi debita venerationis officia, eâ qua par est curâ, religione, & reverentiâ, præstantur, additis majoribus reditibus, ipsorumque Ecclesiasticorum Ministrorum adauctis commodis, & utilitatibus pro majori illorum decore, onerumque illis incumbentium supportatione ad uberiorem æterni nominis gloriam Divinus cultus, ac Fidelium pietas latius in dies multiplicetur.

In exactione subsidii mandat servari Constitutionem Clementis V. & cæteri, ne sacra suppellectilia recipiantur.

Neve Sacra loca debitis fraudentur obsequiis.

LXXXIV.

Exordium à zelo promovendi incrementum divini Cultus in Ecclesiis præsertim Collegiatis insignibus.

Derogat quibuscumque contrariis.